

Thomas Atkinson

‘Homo’

Fabula
(1615-1621)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Januar 2008

Dramatis Personae

Tempus
Epimetheus

Anoetus
Penia
Metanoetus <famuli Epimethei>

Homo
Prometheus
Techne
Hesychia
Iupiter
Iuventa
Hedone <coniux Epimethei>

Scena prima

Ingr. Tempus fugiens sequentem et captantem Epimetheum.

- Epi. Subsist, Tempus! lassum, anhelantem tua
Fuga morare.
- Tem. nectis incassum moras.
Mortalis optas, quod negabatur Iovi?
Epimetheüs adhuc esto et indulge tibi
Ocia, rapinas, furga, memorandas neces,
Tragoediarum scelera. sis totus tuus,
Per me licebit. 5
- Epi. supplicem, tristem, reum
Et confitentem facilis exaudi; Deos
Imitare. venia quid potest levius peti?
Felicitatem perditam fronti tuae
Redde insidentem, redde mulcendam comam. 10
- Tem. Felicitatem perditam sero petis.
Epi. Si sera non sit ad bonos mores via,
Tempusque serum ne sit.
- Tem. at serum est nimis,
Quod abiit.
- Epi. istud tua facit serum fuga.
Hanc si retardes, non erit serum amplius.
Quin ergo siste! 15
- Tem. nequeo.
- Epi. per lachrymas rogo.
- Tem. Frustra es.
- Epi. per illud, Tempori quicquid placet.
- Tem. Nihil placebit quam, meo ut cursu fruar.
- Epi. Morare tandem supplicem regem precor. 20
- Tem. Nihil movebunt omnia, morari est nefas.
Quicunque spernit obvium, lapsum gemet.
- Exit Tempus. manet Epimetheus.*
- Epi. Abiit inexorandus? aeternum vale.
Solentne frustra regiae fundi preces?
Supplex repulsam ferre Maiestas potest?
Charissima precum precia privatis. tamen
Ego rex precabar, ad genua supplex eram
Et Tempori supplex eram. fata aspera!
Calvo huic seni supplex? seni surdo? preces
Non audienti? Temporis posthac opem
Abiuro, posthac respuo morosum senem 25
30

Meisque regnis exulem denuncio;
 Movere quem non regiae possunt preces,
 Minae movebunt. sentiet, quantum potest
 Vltrix leonis ira commoti, lupus.
 Adeste famuli, adeste populares mei,
 Anoete, Penia, Metanoete.

35

Scena secunda

Ingr. Anoetus, Penia, Metanoetus.

Omn.	en, adsumus.	
Epi.	Deforme quoddam regiam nostram pecus Infestat, habitu desuper calvi senis. Pars altera feram monstrat; aspectu truci Et ominoso, fronte caperata, asperis Horrente villis, pendula barba, quasi Ductoris hirci, gutture voraci. ferum Et triste monstrum, natum ad exitium et luem Et vastitatem, Tempus appellant. volo Vt congregatis copiis regno meo Procul abigatis, pectore implacabili Fugate. si quando redierit aut clanculum Irrepserit, tu, Penia, inedia confice. Diu etenim inediam non potest Tempus pati.	40
	Quodcunque Peniam penes erit, factum dabit.	45
Pen.	Anoetus aliis Tempus illudet dolis. Si forte Peniam vicerit, amica manu Blande saluta, finge servitium, comam Donec prehendas; deinde blanditiis tuis Protrahito ad epulas, ibi iocis Tempus tere Ineptiisque falle. postremo mora et Cunctando, veluti Fabius Hannibalem, doma.	50
Epi.	Morari, ut aiunt, neminem Tempus solet; Sed ego Fabius alter ero et hunc hostem mora Torquebo.	55
Ano.		60
Epi.	tu, Metanoete, interim Insequere probris Tempus ac odio pari Calumniare.	
Met.	nil opus monitis mihi.	
Epi.	Ergo agite, famuli, sedulo.	
Omn.	iussis tuis Statim obsequemur.	

Exeunt tres famuli.

Epi.	viribus eorum parum Diffido, modo dent Tempori soli obviam. At si Prometheus Tempori auxilium ferat Iunctaeque famulæ, Techne et Hesychia, occidi. Expectorabit unicus famulis meis Aspectus animum et in fugam celerem dabit. Sed fausta spero. te ducem, Casus, sequar. Renunciavit Tempori quisquis suo, Fortuna sola facere felicem potest.	65 70
	<i>Exit <Epimetheus>.</i>	

Scena tertia

Ingr. Anoetus, Metanoetus, Penia Homini aliqua insusurrantes.

Pen.	Vestrae Prometheus vafer invidit nimis Felicitati; nempe ut arbitrio suo In servitutem redigat humanum genus. Onerat inquis artibus, curis premit, Vigilare noctes suadet et longos dies Pallescere studiis et ipsis immori, Parum immorari est.	75
Met.	rectius vestro bono Noster Epimetheus consultit: totos dies Iubet ociari libere, epulari iubet, Incogitatos agere sine cura dies, Negligere, quod praeteriit, et Tempus leve Flocci aestimare.	80
Ano.	si tu, Homo, Anoetum audias, Te fruere, genio laetus indulge et sape. Nec torqueant mentem studia, nec te premat Scientiarum pelagus, immensum mare, Abyssus; odi noxias, vanas fuge, Mitte heluonibus devorandas, improbis Inauspicati Temporis cultoribus. Te fruere, dico, tibi place. sapientia	85
Pen.	Haec summa et una. sperne fugiti vi minas Temporis. agamus sacra laetitia, ioco Lubentiaeque. quid taces?	90

Hom.	lepidi mei	95
	Genii, beastis. sinite, ut amplectar; date	
	Exosculandas servulo vestro manus.	
	Meae videtur primus hic vitae dies.	
Met.	At nos beatam dabimus et longam tibi.	
Ano.	Agedum, iocemur.	
Pen.	libero terram pede	100
	Pulseamus una.	
Met.	tuque adimplebis chorum.	
Hom.	Placet.	
Met.	sed intro iam manent lautae dapes.	
	Bacchus choreis spiritum et vires dabit.	
	<i>Exeunt omnes saltantes.</i>	

Scena quarta

Ingr. Prometheus Tempus per capillum tenens.

Pro.	Tu me beasti, Tempus: ego numen tuum Sedulus adoro, fide scrutator sacri Et veritatis abditae inventor, boni Fidelis evulgator inventi. tuum Semper Prometheus numen, o charum caput, Coluit coletque.	105
Tem.	quin et hanc Tempus vicem Reponit, ut nil faustum et optatum tibi Desit nec ullis, qui colunt Tempus.	110

Chorus: ingr. Metaneetus, Anoetus, Penia cum Homine saltantes.

Quis iste tandem? turba quae? an sanos putas? Homines, Prometheu, credis? an potius feras? Tantumne cernes Temporis abusum, et feres? Pro.	Miserere, Tempus, sortis et miseris semel Ignosc; tenta, forte resipiscent.	115
Tem.	tuis Parebo precibus.	

Tempus se offert illis negligentibus.

proh scelus! proh dedecus! Stultitia Tempus siccine illudet? vale, Insana turba: Tempori hic non est locus. At tua, Prometheu, si quid ars poterit, vide.	120
--	-----

Exit Tempus.

Pro.	Forsan movebunt verba et abducent malis. Experiar et, si quid preces, si quid minae Valeant, minabor et minis addam preces. Quid agitis, Homines? quid choros medio die Insanientes ducitis? morem efferum Deponite. animum vitia conspurcant; eum, Quem sorte fausta fecerant Superi bonum, Ne polluatis faece terrena. monet Boni Prometheus vestri amans. annon pudet Nescire, quinam sitis aut cur vos parens Natura fecit? illa progenuit bonos, Voluit eodem vos frui coelo, die Donisque iisdem, quae prius dederat bonis. Muneribus istis cur abutimini? mala Sperare num potestis ulturos fore Nunquam Deos? nunquamne Naturam scelus Hoc vindicaturam putatis? negligunt, Non audiunt, rident. alia certe manent Tentanda nobis. huc ades, Techne; veni, Hesychia.	125
	<i>Ingr. Techne, Hesychia.</i>	
Pen.	Techne semper infensa est mihi.	140
	<i>Exit <Penia>.</i>	
Met.	Hesychia Metanoeto.	
	<i>Exit Metanoetus.</i>	
Ano.	et Anoeto utraque.	
	<i>Exit <Anoetus>.</i>	
Hes.	Inclyte Prometheu, quid tuas famulas iubes?	
Pro.	Adventus, ecce, vester has lamias foris Pepulit, fugavit. vos misellum hunc interim Accipite curandum.	
Hom.	ubi fui? quae me mala Effascinarunt? ubi mei genii? novus Quis habitus iste? quive vos estis?	145
Pro.	metum Pelle et dolorem; pessimi abierunt mei Fratriis ministri, sceleris authores tui. Confide, et animo sis bono ad rectam indolem;	
	Redire tandem si placet, dabitur via, Tu modo sequaris has viae rectae duces.	
Hom.	Vtrasque nostro laetus excipio sinu: Fovebo, nunquam deseram.	
Hes.	mentem gravi Hesychia cura liberam spondet tibi.	150
		155

- Tech. Tibique Techne spondet Attalicas opes.
 Hes. Divorum quieti neutiquam, dono hoc fruens
 Nostro, invidebis.
- Tech. divitem facient mea,
 Facient potentem dona.
- Hom. vos dicam Deas,
 Dicam columnas, fulcimina vitae meae.
 Vtrasque sic amplector: ego neutram alteri
 Postpono.
- Pro. pulchre est. et quia ob tantum bonum
 Pietas referre gratias Superis iubet,
 Sacra fulminantis ara fumabit Iovis.
- Exeunt omnes.*
- 160

Scena quinta

- Ingr. Epimetheus cum famulis.*
- Epi. Praemuniendum hoc prius erat: dirum exitum,
 Quem praecavere oportuit, frustra doles,
 Quum res peracta est. at dicite, ignavum pecus,
 Cur audiistis vos eum, iussus meos
 Non exequuti.
- Met. pessime tractavimus
 Misereque Tempus fecimus ludos, prius-
 Quam in auxilia Prometheus famulas suas
 Vocasset; illis cessimus longe impares.
 Hinc, hinc apagite singuli.
- Proculcat famulos foras.*
- quid nunc mihi
- Vltra relictum est? spes alia quae nunc manet?
 Vlciscar. illa fixa mens stabit mihi;
 Vlciscar. at qua fraude? quo tandem modo?
 Promethea scio callidum, cautum scio
 Nec quavis arte posse stertentem capi.
 Praesentit omnes facilis insidias meas,
- Frustratur. at cudendus est aliquis mihi
 Occultiore fraude ab eventu dolus.
 Ita forte capiam. machinatrices Deae,
 Scelerum propitia sitis. impune haud feret.
- 165
- 170
- 175
- 180
- Exiturus visa Hedone recurrit.*

Scena sexta

Ingr. Hedone.

Epi.	At en sororem, coniugem fratris; tegam Ad tempus iram. temporis aptari decet. Laetus eam adibo. si quid ex illa mihi Ad ultionem commodum expiscer, cito Experiar. ut vales, soror? coniux ubi? Domi quid agitur, Hedone?	185
Hed.	nobis sacra Peraguntur hodie. victimam, coniux. duos Tauros sacrificat liberatori Iovi.	190
Epi.	<i>Aversus loquitur:</i> Vindicta parta est. sacrificia dicis Iovi Parare fratrem. quid Iovi? certe Deum Iustum poetae fabulantur; sed ferunt Creta insula editum. an parit tellus Deos? Sed esto, demus editum in terris Iovem. Vnquamne regnis expulit patrem Deus? Auditus unquam raptor et adulter Deus? At ista passim probra conspurcant Iovem. Haec scelera prodit Scaena, depingit forum, Theatra resonant, ingerunt vatum libri.	195
Hed.	Ego ista saepe mente versavi mea Dubitoque, sitne Iupiter, ut aiunt, Deus.	200
Epi.	Tibi datur istud scire.	
Hed.	<i>quo tandem modo?</i>	
Epi.	Haec ipsa solers obiice marito tuo Verbisque persuade, Iovis factam ut probet Divinitatem. coniugi, caveas tamen, Modum relinquas.	205
Hed.	<i>capio te et monita exequar.</i>	
<i>Ingr. Prometheus.</i>		
Epi.	Sed en, Prometheus ipse. non his amplius Mihi immorandum est; forte subolebit dolum, Quem cogitamus. saepe suppressum malum Vultu loquaci proditur. valeas, soror. Agenda nobis alia sunt; iterum vale.	210
<i>Exit Epimetheus.</i>		
Pro.	Laetare, coniux; hunc diem summo Iovi Nos consecramus.	

Hed.	cur Iovi? Superis pia Offerre debes vota, non debes Iovi.	215
Pro.	Insana, quid sic loqueris? ah, cohibe cito Linguam profanam; tu cave, laedas Deos: Clamore celeri semper ascendunt polos Opprobria Deorum.	
Hed.	Iovem inficiar Deum: Iniquus ille, turpis, obscaenus, latro, Impius adulter, raptor infamis fuit. Talemne sanus quis Deum credat, colat? Tenta, marite, dum tuos ritus agis, Sit necne dictus Iupiter vere Deus?	220
Pro.	Tentabo; nam quid obstat? inveniet brevi Ars nostra, num sint fabulae an vere Deum Dicant poetae. tu redi, coniux, domum; Mandato famulis, ut mihi bina afferant Tergora bovina. sed, moneo, iubeas prius Ossibus adimpleri alterum, carne alterum.	225
Hed.	Alacris petita fugio mandata exequi. <i>Exit Hedone festinabunda. manet Prometheus.</i>	
Pro.	Istud erit omen, si Deus non sit: peto, Ossa sibi tantum seligat. dicam Deum, Posse omnia fatebor et eum semper colam, Si carne plenum vendicet.	230
	<i>Ingr. Hesychia, Techne introducentes duo tergora bovina.</i>	
Pro.	at adsunt mihi Famulae. quid? an, quae nostra mandavit modo Vxor, parastis singula?	
Amb.	parantur.	
Pro.	bene est. Huc afferatis, collocate illa ad sacrum Altare. recte. solus ero, discedite.	235
	<i>Exeunt Techne, Hesychia.</i>	
	Dignare, summe rector et mundi arbiter, Accipere facilis, quae tibi dona exhibit Tuus Prometheus. victimas binas fero, Tu destinatum his ignibus taurum sacris, Omniscie Pater, selige et signo indica.	240
	<i>Iupiter desuper tonans alloquitur Prometheum.</i>	
Iup.	Audent secunda bella Mortales Iovi Indicere? quid? an est parum irasci Deos? Leve est movere. lanei nobis pedes Sunt, plumbeae manus. facinus audax tuum Promeruit istud fulmen; at mitem ut scias,	245
		250

- Quod ab igne patras, vindici poena et pari,
 Ignem auferendo, puniam. discat genus
 Mortale credere atque revereri Iovem.
- Pro. Dehisce tellus, rupta et ingenti via
 Adusque manes deprime infelix caput
 Tenebrisque conde. quas miser voces dabo?
 Planctusque quos? quae verba sufficient mihi?
 Iustitia dignam scelere mercedem dedit.
 Stultitia dignam scelere mercedem tulit.
 Credenda, non tentanda Maiestas Iovis.
- 255
- Exit <Prometheus>.*
- 260

Scena septima

Ingr. Epimetheus laetus et famuli.

- Epi. Vindicta nimia est; vota transcendи mea.
 O quam iuvat videre semianimes humi
 Homines iacentes, quos iners frigus meos,
 Spero, secundo faciet. en, cessat labor,
 Nec versat artes igne sublato suas
 Quisquam, ociosi singuli torpent Iove
 Sub frigido. nunc artibus nostris opus,
 Vt rursus homines in meas partes traham.
 Vos, si redimere gratiam vultis meam,
 Ite, ite, famuli; crimen admissum nova
 Obsequia purgent.
- 265
- Omn. lenitas cogit tua,
 Vt exequamur seduli, quicquid iubes.
- Exeunt famuli.*
- 270

- Epi. Heus, Metanoete; perge tu ad fratris domum,
 Insequere, crucia, vulnus obductum frica.

Exit Metanoetus.

Vindicta vita dulcior, blandum malum,
 Extendit alacres ultio in fratres manus.

Exit Epimetheus.

275

Scena octava

- Ingr. Prometheus, Hedone.*
- Pro. Abscede, mulier, teque quam primum avehe;
Discede, nec, vesana, conspectu tuo
Me torqueas diutius. linquas domum
Nostram, voluptas. quid manes? exi foras. 280
- Hed. Dilecte coniux <...>
- Pro. coniugis vocem horreo,
Discors Erynnis potius aut geminas faces
Megaera quatiens. i, procul sortem dole;
Magni Tonantis dira contemptrix, abi.
Ad scelera mentem Faeminae asportant suam, 285
Virile robur. vade.
- Hed. tantum audi preces
Vel crede lachrymis.
- Pro. ad manum lachrymas habes.
- Abscede.
- Hed. coniux.
- Pro. quid seris fanda moras?
Abi in malam rem.
- Hedonem proculcat foras. ingr. ei a tergo Metanoetus.*
- Pro. proh meum fatum! Iovis
Dubitare numen ausus? oh sanctos Deos! 290
Quam labitur, quicunque confidit sua
Arti! videri dum pius volui, impius
Evasi. iniqua fata! iam facti piget.
Pudenda scelera doleo.
- Met. sed plundo mihi
Tuisque nunc, improvide Prometheu, malis
Saginor. 295
- Pro. ecquid dira Furiarum cohors
Nostris inhabitat aedibus? nunquid modo
Vna fugata peior introiit? quid hic
Agis, scelest?
- Met. tibi tuum ostendo nefas.
- Pro. Apage, miserior esse non possum; amplius
Addere dolori nil potes nostro, fuge. 300
- Met. Erras, Prometheu; nam meum est ita persequi.
Cruciare mentem gestio memoria mali
Dudum anteacti; sic malis addo mala
Poenasque gemino. quae fricat, gravius nocet
Quam, vulnus ipsum prima quae inflxit manus. 305

Pro.	Egredere, pestis; scelere purgato domum. Nisi hinc abieris, citius eiiciet foras Hesychia.	
Met.	quamvis limen occludas, tamen Inveniam et ultra persequar. <i>Exit Metanoetus. manet Prometheus.</i>	
	flocci minas	310
	Aestimo. dolet me sortis et poenae gravis, Quam sola nostra nuper inflixit viris Miseris temeritas. proh Deos! quid nunc agent? Torpescit omnis frigore Arctoo manus, Hominesque pigrum frigus effecit pigros.	
	Nullus laborat igne sublato, mea Peccata iniqua sorte Mortales luunt. Ergo levare, quos prius laesi, decet. Si forsan ignem clanculum e coelis Iovi Surripere potero, experiar et factum dabo.	315
	Levabo miseros vel simul misere cadam. <i>Exit.</i>	320

Scena nona

Ingr. Hesychia, Techne

Hes.	Miseranda fata gemimus et sortem asperam; Quas abdicarunt singuli, immemores manent Nostri ocioque Tempus ignavo terunt.	
Tech.	Vbi spes refulget aliqua, desperes nihil. Tentasse dominum nosti, an in terras potest Ignem repetere. cuncta si cedant bene, Iterum coletur Tempus, ac artes brevi Iterum vigebunt, pristinam formam induent.	325
Hes.	Hoc restat igitur, vota felicem exitum Ei secundent nostra.	330

Ingr. Prometheus cum ferula accensa et Homo redivivus.

Hes.	at en, Techne, integro Voto potimur. ecce, redivivum tulit Hominem Prometheus.	
Pro.	nostra vos laesit manus Eademque iam sanavit, in terras sacrum Ignem reduxit arduus noster labor.	335

Hom.	Agnosco, vitae sole renovator meae.	
Pro.	Has igitur ambas rursus amplecti para. Accensa quum te ferula redivivum dedit, Solitus reviviscat labor. Technen cole; Nil indigebis, opibus et honore inclyto Semper frueris. quaeque comitari solet Opes, amica pacis optatae satur Quiete potiere, modo redametur bona Hesychia.	340
	<i>Tonat, et ingr. Metanoetus.</i>	
Pro.	sed cur Iupiter coelo tonat? Et ab arce fulmen vibrat aetherea? nova Sensere Superi fulta.	345
Met.	senserunt tuum, Temerarie, scelus impium ac audax nefas.	
Pro.	Desiste mundum nubibus ruptis, Pater, Concutere. me solum perime, solus cadat Nocens. meruit hoc pectus, hoc meruit caput Tua fulmina. insons sed quid Homo meruit mali?	350
Hom.	Languesco totus, intimas morbus furens Penetrat medullas, viscera et totos simul Depascit artus, pectus exurit lues.	
Met.	Latere Superos posse sperasti tuas, Malesane, fraudes; iusta sed poena obtigit, Quae cum igne rapto morbidam immisit luem. Sic aquila, ab aris dum sacras carnes rapit, Nidum igno tecto nescia accedit suum.	355
Hom.	Adsis, Prometheu, et adiuves miserum.	
Pro.	tibi Ars mea feret opem, quam potest. ambae domum Hunc afferatis, mox adero vobis; ei Nec cura desit vestra.	360
	<i>Exeunt Techne et Hesychia cum Homine languido.</i>	
	quodnam istud malum?	
Met.	Ad puniendum fulta Pandoram Tonans Septam caterva morbida in terras dedit.	365
Pro.	Impia Promethei fata, cum parcunt, mala! Remedia quoties coelitum invidia feram Periculis peiora? iacuerunt modo Homines perempti frigoris Scythici malo, Nunc rursus atra tabe correpti iacent.	
	Quodque magis urget, privor auxiliis meis; Tempus mederi non potest istis malis. Spes nulla magnum hoc posse leniri malum.	370
	<i>Exit Prometheus.</i>	

Met. Sic actiones semper humanas Deus
 Ridet et inanes saepe conatus facit.
 Receptui statim canit, quisquis movet
 Ad arma Superos cumque Diis bellum gerit.
Exit Metanoetus.

375

Scena decima

Ingr. Epimetheus et Homo languidus.

Epi. Tandem te ipsum nosce, tibi tandem vaca;
 Adhuc vacasti Tempori et fratri meo.
 Si sapere tandem potes, illorum iuga
 Excute virili pectore; ausculta mihi
 Dulcia monenti.

380

Hom. facilis ausculto tibi.

Epi. Miseret pigetque sortis, infelix, tuae,
 Cui versipellis semper imponit meus
 Frater Prometheus. pro bonis vendit mala,
 Specie bonorum; suadet atque, ut credulo
 Facile est abuti, facile persuadet. suo
 Amisit ignem scelere, sed vestro malo;
 Reduxit ignem scelere, sed vestro malo:
 Nam cum igne morbos gravius induxit malum.

385

At tu Patronum, beneficum, iustum putas
 Spectasque tanquam restitutorem Deum.
 Quid, stulte, ab homine quaeris auxilium? manus,
 Quae vulneravit, unica mederi potest.

390

Iovis ergo ad aras perge, surrepti reum
 Ignis Prometheus argue; ibi supplex pete,
 Ut innocentem solvat et sontem premat.

395

Hom. Egone Prometheus ignis ablati arguam?
 Exaudietne Numen ingratas preces?

Epi. Quid sanitatem, stulte, sic differs tuam?
 Confide et aude; spondeo faustum exitum:
 Iustas inanis nemo profudit preces.
 I, perge, perage vel peri.

400

Exit Prometheus.

Hom. cur non eam?
 Quis enim monenti iusta non morem gerit?

Pergit ad aras.

	Supreme coeli rector, aethereae potens Dominator aulae, supplices audi preces. Ignem Prometheus conditum ferula cava Surripuit, at nos sensimus dextram tuam. Quin ergo redeat scelus in authorem suum, Nec eius omnes fulta Mortales luant.	405
Iup.	Petitio iusta est: luitis insolentes scelus, Quod perpetravit unus; at graviter feret. Descende, Maia genite, et in terras cito Labere; Prometheum, iubeo, sistas statim Ad hoc tribunal, quotquot et furti reum Arguere poterunt. i, fugito dicto ocios. Nec indotatos mitto cultores meos: Indigna passis praemium hoc vobis erit luventa sempiterna, quae cunctos potest Superare morbos. praemium dignum Iove.	410
Hom.	Est Iupiter iuvans pater, res nomini Conspirat apte, mitis et clemens Deus. Hunc ergo posthac saecula benignum patrem Efferre nunquam desinent. Magni Iovis Populare meritis laudibus carmen sonet.	415
	<i>Exit Homo laetus.</i>	420
		425

Scena undecima

Ingr. Tempus.

Tem.	Quid cursu inani pergo? quid repeto vices? Totiesque in orbem redeo nec quicquam tamen Proficio? nostram negligunt Homines opem. Stultitia magnam vendicat partem sibi, Nequitia magnam. Maxime Deorum Pater,	430
	Cur fabricasti Tempus aeternum simul Miserumque? redige potius ad primum chaos, Quam ut ista spectem et patiar. assiduo genae Rore irrigantur, qualiter montis iugo Calido madescunt imbre diffusae nives;	435
	Lachrymae cadunt per ora, dum video viros Meliore formatos luto, indutos sibi Tot belluina vitia, tot mores malos. Interit omne ius, decus, pietas, fides,	440
	Periere mores; pro quibus supplent vicem	

Ferrum, venena ac impiae caedes, regunt
 Nefanda furta, scelere velatur scelus.
 At, at videbunt, quam feriet animum dolor
 Male collocati Temporis; tandem sui
 Sceleris pigebit, meque praeteritum gement.
 Sed negligentes negligam; posthac edax
 Rerum vocabor, viribus et utar meis.

445

Exit.

Scena duodecima

Ingr. Anoetus, Penia.

- | | | |
|------|---|-----|
| Pen. | Anoete, certum est nuper infensum Iovem
Factum Prometheo, quod e coelis sacrum
Sustulerit ignem. | 450 |
| Ano. | si cadat furti reus,
Imperia in homines magna spes nobis manet
Redintegrandi, candidum expecto diem. | 455 |
| Pen. | Viribus agendum forte si fuerit, potest
Conscribere Penia numerosum exercitum
Aegyptiorum, furum et errorum omnium;
Nam quaeque regio subsequis Peniae scatet. | 460 |
| Ano. | Qui me sequantur, milites multos dabunt
Vrbs, aula, rus ipsaeque Musarum scholae.
Vbiique loca sunt plena stultorum omnia. | 465 |
| Pen. | Quod si cediderit, copias nostras simul
Iungemus una. | 470 |
| Ano. | potius et nosmet simul
Iungemus. | 475 |
| Pen. | Anoetum Penia amabit. | 480 |
| Ano. | suam
Peniam vicissim amabit Anoetus: tuum
Bis duo iugales candidi currum trahent
Auro nitentes undique et phaleris novis.
O nos beatos! | 485 |
| Pen. | multa, mi Anoete, interim
Sollicite agenda: iuncta consilia adiuvant,
Et gravia poscunt opera multorum manus. | 490 |
- Exeunt invicem amplectentes.*

Scena tertia decima

Ingr. Homo portans luventam.

- Hom. Iuventa, munus coelitum, mundi decor,
 Solamen Hominum maximum, quam te colo, 470
 Quam veneror ac exosculor! toto sinu
 Strictisque foveo amplexibus. dono tuo
 Quid vidi usquam pulchrius mundi iubar?
 Quid ipsa Tellus possidet maius? tuo
 Vigore florent imperia, ac urbes vigent. 475
 Tu iura firmas, tu rudem populum domas,
 Levem coerces; constat arbitrio tuo,
 Quodcunque constet viribus nixum suis.
 Felicitatem tota coelicolum cohors
 Quod sempiternam possident, debent tibi. 480
 luventa Superos esse felices facit.
 Nil ipsa sine te vita, nisi poena et labor
 Et inquietum somnium: sine te iacent
 Artes, honores displicant, sordent opes.
 Salve salutis flos, voluptatum soror, 485
 Decoris anima, pulchra laetitiae parens.
 Nil iam, Prometheu, fretus hoc genio bono,
 Vel te tuasve perditas artes moror.
 Nil Tempus ipsum pendo; me vestro iugo
 Fauste expedivit fidus Epimetheus pio 490
 Suasu. sed illum liberatorem meum
 Dum quaero ubique, ferveo totus, sitim
 Iuvenilis intus sanguis accendit novam.
 Et ecce, fons argenteus, nitidis aquis
 Purus et amoenus. pono delicias meas. 495
 Quodcunque fonti praesides Numen, meam
 Serves Iuventam, quaeso.

Procumbit bibitque. serpens interim sibilans erumpit rapitque Iuventam.

proh superos Deos!

- Tuere miserum, Iupiter; pestem et scelus.
 Quis triste monstrum genius immisit malus,
 Vt me meamque perditam infelix eat 500
 Felicitatem? quod malum, Superi? scelus
 Quod perpetravi nescius? cur me, Pater,
 Tanto beasti munere, ut rursus statim
 Fato invidente tristius fierem miser?
 O spes inanes!

Aliquid iacit.

	pestilens monstrum, tuos Vngues remitte, desine Iuventam impio Foedare rictu. sibilat totos minax Serpens per armos, sinuat intortos fremens Squammea per orbes terga. me stultum, impium, Vnius haustu frigidae qui perdidi Donum Deorum! i, perge et aeternos miser Emitte planctus et tuam sortem dole.	505
	<i>Ingr. Metanoetus et eum exeuntem repellit.</i>	
Met.	Redi, scelestus; non potes vultum Iovis Latere. iam nunc vedit admissum nefas Visoque iussit ducere ad poenas.	510
Hom.	satis Poenarum in ipsa sorte funesta dedi. Quid restat ultra?	515
Met.	judicis sententia.	

Scena quarta decima

	<i>Ingr. Epimetheus, Penia, Anoetus, Prometheus, Hesychia, Techne. detracto velo appareat Iupiter.</i>	
Iup.	Prodite, sceleris indices; istos reos Arguite coram.	
Pro.	Magne regnator Deum, Sine teste sponte fulta confiteor.	
Iup.	nefas Nonne horruisti, non tremuit animus? Stygem Invoco, scelestum facinus impune haud feres. Inhospitalis Caucasi affixus iugo Iacebis, ubi trux aquila depascet tuum Iecur renascens in dies. gemitus, preces	520
	Omitte inanes, fixa stat sententia. Qui gravius errant, poena eos gravior manet. Quid tu, nequissime, haustum aquae dono meo Qui praetulisti?	525
Hom.	Summe coelicolum Pater, Ignoscere fasso.	
Iup.	magna pars poenae tuae Erit carere coelitum tanto bono. At maior[e] invidere, quum videris feros Angues quotannis ponere exuvias suas	530

	Positaque pelle veteri in exitium tuum Valentiores crescere. inscitiae tuae Quia culpa levior, has leves poenas dabis. At tua, superbe, scelera quod penset malum? Quae poena adaequet?	535
Pro.	pende coelicolum Pater, Quo fine factum est: non ego in Superos scelus Sum machinatus. queis prius nocui meo Errore, volui rursus immunes dare. Sic pius in Homines, impius laesi Deos.	540
Iup.	Pietatem in Homines quid, miser, falsam crepas? Fuisti in illos duplicitis author mali, In igne adempto et redditio; culpa tua Miseriam ademptus, redditus mortem dedit. Ista tua pietas? ut tamen facilem scias, Remitto ad Homines; liberent, damnent, licet.	545
	<i>Prometheus convertit se ad Auditores.</i>	
Pro.	Qua forma et unde mediter infelix meam Defensionem? sentio infensos mihi Homines Deosque; conscious movi Deos, Sed nescius Homines. opem mundi sator Negavit omnem, et ista circumstans opem Veneranda turba si neget, perii miser. Meliora spondet vester aspectus, quibus Prodesse magis censui vita mea.	550
	Doctrina, Athenas hasce quae claras facit, Meo igne destituta languescit; tamen Ob hunc petitum nescio e coelis Iove, Inhospitalis damnor ad montis iugum, Vbi semper aquila vividum absumet iecur, Nisi vos, corona docta, concessu Iovis, Mihi porrigatis liberatrices manus.	555
	<i>Iupiter e solo descendit.</i>	
Iup.	Ergone cedet Iupiter Mortalibus? Fecit, Prometheu, fecit accepti Iovem Memorem beneficij favor Mortalium. Dicta ergo poena libero, quod olim tuus Iovem abstinere fecit a nepti dolus. At regnum in Homines facinore audaci modo Quod ambiisti, non erit totum tuum; Fratri tibique tribuo divisum: placet. Vterque regnum sorte capiatis.	560
Amb.	Iovi Grates habemus maximas.	570

Iup.	posthac tamen	
	Desinite fratres mutuas lites: pium	
	Sociate foedus, agite concordes.	
Amb.	tuo	575
	Paremus ambo nutui.	
Pro.	una dexteras	
	Iungamus, icto hoc foedere quotannis sacrum	
	Recolemus istum pacis aeternae diem.	

Epilogus

Epi.	Et foedus ictum semper ut maneat ratum, Testetur etiam vestra, si placeat, manus.	580
<i>Exeunt omnes.</i>		

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die nach der einzigen Handschrift (Brit. Mus. Ms. Harleian 6925) vorgenommene zweisprachige Erstausgabe von Mahaney/Sherwin bzw. Sherwin/Parrish (1973; Text bzw. Übersetzung) mit genauer Beschreibung der handschriftlichen Eigenheiten S.111f.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktum wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *author* statt *actor* (544), *coel-* statt *cael-* (132, 344, 367), *infelix* statt *insfaelix* (255), *lachrymae* statt *lachrimae* (436), *ocio* statt *otio* (324). Groß geschrieben wurde: *Deus* (159, 182, 218, 225, 233, 247), *Mortales* (317, 410), *Supéri* (127, 163, 346, 355, 377, 481, 539), *Pater* in Anreden (245, 538) sowie 364 *Tonans*; klein dagegen: 68 *occidi*, 374 *humanas*, 498 *pestem*, 538 *coelicolum*.

Mit Mahaney/Sherwin wurden als Sprecher ergänzt 23 *Epi.*, 234 *Pro.*, 469 *Hom.* und 325 *Tech.* statt *Hes.*; als Abkürzung wurde *Hom.* statt *Ho:* gesetzt. Die Regelanweisungen wurden ohne umschließende Klammern gedruckt, abgekürzte Eigennamen wurden ausgeschrieben und durch 'Kommata' getrennt, z. T. auch ganz hinzugefügt wie auch die beiden Erläuterungen im Darstellerzeichnis; wie bei den Sprecherabkürzungen wurden *ingr.* und *exit/exeunt* statt *ingr./* *ingr.* und *ex./exe:* verwendet.

8	<i>Deos</i> statt <i>does</i>
122	<i>si quid ... si quid</i> statt <i>siquid ... si quid</i>
188	<i>vales</i> statt <i>valet</i>
281	<...> Sherwin/Parrish
356	<i>malesane</i> statt <i>male-sane</i>
475	<i>florent</i> statt <i>glorent</i>
532	<i>maior</i> statt <i>maiore</i>
551	<i>Deos</i> Mahaney/Sherwin statt <i>Deus</i>

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 4, 7, 27, 31, 44, 44, 48, 56, 57, 60, 62, 64, 64, 67, 68, 70, 78, 79, 86, 93, 94, 99, 103, 105, 109, 111, 115, 121, 122, 130, 132, 148, 169, 177, 198, 202, 205, 208, 227, 235, 241, 245, 253, 255, v261, 282, 286, 291, 294, 304, 305, 310, 311, 320, 322, 324, 333, 347, 353, 375, 377, 379, 386, 391, 397, 401, 403, 427, 431, 441, 455, 458, 465, 482, v497b, 500, 511, 512, 514, 533, 549, 571

'Komma' gestrichen nach: 173 *hinc*, 292 *pius*, 355 *sperasti*, 543 *Homines*

'Komma' ergänzt: 1 *subsiste*, 3, 6, 14, 16, 18, 19, 34, 35, 37 *en*, 49 *tu*, 49 *Penia*, 61, 61, 72, 84 *negligere*, 96, 96, 104, 111, 115, 115, 122 *et*, 126 *eum*, 130, 133, 139, 139, 143, 143, 151 *placet*, 158 *nostro*, 165, 166 *doles*, 182, 188, 203 *dubitoque*, 206, 207, 207, 209, 210 *dolum*, 212, 214, 217 *ah*, 218, 224 *tenta*, 228, 228, 229, 230, 230, 233, 233, 235, 237, 238, 241 *dignare*, 245, 249, 252, 264 *en*, 270 *ite*, *famuli*, 271, 272, 273 *heus*, 277 *abscede*, 278 *nec*, 278 *vesana*, 280, 299, 306, 307 *egredere*, 308, 327, v331b, 331 *en*, 332, 336, v344, 358 *aquila*, 361, 371 *urget*, 386, 393 *manus*, 396, 411, 413, 413, 414, 414, 443 *at*, 469 *Iuventa*, 477, 494 *ecce*, 497, 498, 499, 501, 502, 505, 513, 518, 519, 529, 544, 547, 551, 557, 557

'Komma' statt 'Punkt': 450, 467, 561

'Komma' statt 'Doppelpunkt': 441, 508, 560

'Komma' statt 'Strichpunkt': 575

'Komma' statt 'Klammer': 58, 58, 59, 59, 71, 71, 85 *tu*, 85 *Homo*, 92, 92, 108, 108, 113, 113, 120 *tua*, 120 *Prometheu*, 203 *Iupiter*, 203 *aiunt*, 263 *meos*, 264 *spero*, 295, 295, 302, 302, 346, 347, 348, 348, 355 *tuas*, 356 *sane*, 360, 360, 383, 383, 393, 393, 400, 400, 466, 466, 487 *iam*, 487 *Prometheu*, 528, 528, 537, 537, 543 *quid*, 543 *miser*, 562 *vos*, 562 *docta*, 565, 565, 580, 580

'Punkt' gestrichen: 281 *coniux*, 448 *Iovem*

'Punkt' ergänzt: v112, 178, 571

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 43, 45, 57, 341, 542

'Punkt' statt 'Strichpunkt': 416

'Punkt' statt 'Komma': 209, 243, 307, 514

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 55, 59, 194, 226, 381, 386, 396, 412, 440, 477, 551

'Strichpunkt' statt 'Komma': 89, 96, 126, 139, 150, 172, 184, 210, 214, 218, 228, 250, 270, 273, 277, 283, 300, 302, 307, 322, 339, 362, 371, 378, 388, 401, 446, 455, 513, 518, 548, 558, 570

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 81, 119, 153, 165, 218, 220, 233, 389, 401, 417, 571

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 17

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 1, 471

‘Klammern’ gestrichen um: 293 *iniqua fata*